



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Articulus III. Ex admissa Dei existentia, facili methodo demonstratur
progressus ad divina attributa, alia mysteria, & fidei nostræ Analysisim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

bitatione concludimus non vi aquæ defluentis, & navigio resistentis, illius motum in partem adversam ulterius impelli, sed alia quadam validiori, sive remorum, sive ventorum &c. Quod in actibus illis humanis contra obluantem corporis sensum & appetentiam clarè elucescit: ab alio scilicet principio incorporeo actus illos promanare. Hinc ipse qui divinus dicitur *Plato in Phadone* Animam humanam primo rectori, sive Deo, propiorem ait, quia regit, rectorique primo assimilatur.

IX. Sed ne ad demonstrandam hanc animæ immortalitatem, hic preliis deductam, latiori stylo cogar excurrere, *Ciceronem* Oratorum principem, ex ipso natura lumine, & priscorum seculorum Philosophis, multa paucis complectentem hic breviter subijcio, libro de *Senectute circa finem*. Sic, inquit, mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas sit animarum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot scientiæ, tot inventa, non posse eam naturam quæ reasas contineat, esse mortalem: cumque semper agitur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse movet, nec finem quidem habiturum esse motus, qui nunquam se ipse sit relicturus: & cum simplex animi sit natura, neque habeat in se quidquam admixtum dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire.

Horum singula multo evadent clariora, si latius expendas *Intellectus* humani *Inventiones* admirandas nulli naturæ corporeæ communes, nullisque penè limitibus circumscriptas, circæ tot vocum, & idiomatum dissimiliorum institutiones, tot scripturarum species, tot picturarum delineationes subtilissimas, tot musicæ organa, vocumque inflexiones ordinatissimas, tot artium, totque scientiarum subtilissimarum acquisitiones, in astrologia, arithmetica, optica, geometria, aliaque tam multiplici rerum tam humanarum, quam divinarum notitia: quæ omnia intellectus humani capacitatem arguunt quodammodo illimitatam.

Et quidem quod concernit solam hominis *Memoriam*, de *Mitridate* Rege Ponti ac Bithuniæ tradit *Plinius* lib. 7. cap. 14. illum linguarum viginti duarum adeo fuisse peritum, ut cum totidem Nationibus loqui, ac negotia quævis tractare potuerit.

Charmides Græcus memoriæ statim affixos habebat libros omnes quos legendo pervolvebat, uti tradit *Gellius* lib. 17. cap. 17.

De *Seneca* constat, quod duo millia nominum consequenter recitaverit eo ordine quo ipsi recitata fuerunt. Hoc ipse de seipso testatur in *Declamationum* lib. 1.

De quodam adolescente Paduæ à se cognito & viso tradit *Marcus Antonius Muretus*, adeo admirandæ fuisse memoriæ, ut triginta & sex millia nominum eodem tempore & decursu recitare potuerit, quæ ipsi antea prædicta, aut prælecta fuerunt. Ita testatur ipse *Muretus* *lectionum variarum* lib. 3.

Cyrus Rex Persarum, cujus exercitus constabat sexcentis millibus hominum, noverat singulos milites proprio nomine ac cognomine compellere. Ita *Plinius* supra lib. 7. cap. 14.

Lucius Scipio tantæ fuit memoriæ, ut singulos cives Romanos, qui prope innumeri fuerunt, proprio nomine consulare potuerit: uti testatur idem *Plinius* de *viris illustribus*.

X. Hinc non immeritò perpexit Doctor perspicacissimus *S. Augustinus*, Memoriam hominis esse

instar Abyssi quæ nullo limite, nullo fine terminatur.

Nec minus eadem illimitata facultas animæ nostræ perspicitur in illius intellectu, ac *Voluntate*. Hæc enim ita fertur in bona alia atque alia non tantum sensibus objecta, sed etiam in supernaturalia, ac divina, ut nunquam in bonis corporeis suum finem, aut quietem perfectam obtineat; unde facilè intelligitur Animam nostram omnem naturam corpoream longissimè transgredere: ac proinde innatum illius appetitum ac voluntatem non nisi bono æterno ac infinito tanquam suo fine ultimo expleri. Idque omni ævo ab orbe condito non tantum Doctores, ac populi fidei lumine illustrati, sed etiam summi Gentilium Philosophi, *Plato*, *Aristoteles*, *Socrates*, alique, ex ipsa naturæ luce agnoverunt.

ARTICULUS III.

Ex admitta Dei existentia, facili methodo demonstratur progressus ad divina attributa, & ex his ad reliqua mysteria fidei, ejusque Analytism.

UTI ex conmonstratis scientiarum principiis, conclusiones quædam obscuriores facilè elucescunt, ita ex demonstrata supremi Numinis existentia, mirum quanta menti humana lux oboriatur, ut per solida rationis principia ad reliqua fidei mysteria, facili compendio, gradum promoveat, ac tandem solidissimam fidei nostræ Analytism perveniat.

§. I.

DICO igitur primò: Ex eo quod *Existat Deus* rerum omnium prima causa & origo, necessariò sequitur illum esse, *Ens à se*, hoc est, à nulla causa dependens, sed vi naturæ suæ in se ab æterno subsistens. Quia apertè implicat illum esse rerum omnium primam causam, & simul existere aliquam causam naturæ priorem à qua ipse dependeat, sic enim esset causa prima, & non prima.

Dico secundò: Ex eo quod Deus in existendo à nulla causa productiva dependeat, sequitur esse, *Ens in sua essentia Summè perfectum*. Quia limites perfectionis in re quavis oriuntur à voluntate, aut naturali dispositione causæ, quæ non potest communicare effectui perfectionem ampliorem, quam ipsa in se contineat. Cum ergo Deus à nulla causa habeat quod existat, nihil omnino est, quod ipsi perfectionis suæ limites circumscribat; ac proinde ultra omnem quæ mente concipi potest entis creati speciem ac perfectionem sine fine protuberat. Præsertim cum ipse Deus manifestè revelaverit hanc sibi perfectionem inesse; nihil autem enti à se, & nullius egentis, prodesse potest mendacium.

Dico tertio: Ex hac *Naturæ divinæ Perfectione illimitata*, ac nullis terminis definita conficitur, alia quoque ejus *Attributa* debere esse sine fide perfecta, ut sapientiam, potentiam, justitiam &c. Quia hæ proprietates debent adæquari naturæ à qua eas emanare concipimus, quæ cum fine careat, non potest proprietates ex se profuentes ullo fine coarctare. Secundò, cum hæc Dei attributa non sint res aliqua ipsius naturæ superaddita, sed ipsa Dei essentia cum ordine ad varias quas producere potest operationes à nobis considerata, non possunt singula attributa minus continere perfectionis, quam ipsa Dei essentia, cum qua attributa illa re-

ipsa

ipsa in unam, ac penitus indivisam entitatem coalescunt.

II. Dico quartò, Ex attributis Dei omni ex parte illimitatis & infinitis aperte concludimus, illum esse *Omnis boni & perfectionis* primævum fontem & oceanum, in quo bonitas univèrsa quam in creaturis cognoscimus & amamus, infinitis gradibus eminentiùs, atque excellentiùs continetur.

Hinc in Deo necessariò agnoscimus ac veneramus *Summam Sapientiam*, per quam in ejus mente ab æterno in æternum immensa cum claritate relucet, non tantum omnes creaturæ quovis tempore existentes, sed etiam aliæ rerum species sine fine perfectionis, quas solo voluntatis nutu creare potest. Nulla est veritas tam recondita, nulla in mente humana cogitatio aut machinatio tam abstrusa, quæ possit omnia perscrutantem Dei cognitionem momento latere.

Hinc Sapientia, ut perfectissima sit, responderet divina *Omnipotentiâ*, per quam in quantavis multitudinè ac perfectione producere potest quidquid veri entis extra Deum mens humana aut angelica concipere queat. Ex hac Dei potentia tanquam primævo fonte profluit omnis vigor & virtus agendi in causis creatis. Quidquid ingenita virtutis miramur in astris, in terra, in mari, in metallis, plantis, animalibus, tenuis quædam participatio est illius potentia, quam Deus in se nullis limitibus terminatam complectitur. Hæc est potestas illa suprema, quæ in homines impios perpetuò armata, illis gehennæ penas nunquam terminandas infligit; hæc eadem est, ad cuius præsidium quisquis cum fiducia recurrit, nihil habet unde in præsentem, aut futura vita, omnes hominum, demonumque insidias pertimescat.

III. Hanc omnipotentiam comitatur thesaurus *Bonitatis*, in omni genere entis infinitus, sic ut nunquam desit copia inexhausta cælestium donorum, quæ possit ac velit in omnes, suos præsertim cultores, largâ manu perpetuò dispensare. Quidquid cogitatur in creaturis amabile, inanis est larva, aut deformis umbra, si cum purissimo bonorum omnium fonte, & liquidissima ejus voluptate conferatur. Ex hoc amplissimo divinæ bonitatis thesauro proveniunt omnia illa nature, & gratiæ dona, quibus Homo ad beatum finem adjuvatur. Hac bonitate sibi innatâ adactus, creavit Deus ad hominis usum ingentes cælorum orbés, eosque variâ astrorum luce ad stuporem adornavit. Totius terræ, oceanique commoda, ac divitiæ, sustentandæ hominum vitæ destinavit. Quos non tantum ad necessitatem, sed etiam usque ad delicias adnavit, dum tantâ volucrem, piscium, fructuum, florum, metallorum, gemmarum, omniumque rerum varietate totum hunc orbem hominis causâ locupletavit. Ac demum in tot amoris irritamentis hoc unum sibi ab æterno propositum habuit, hominem ad suam agnitionem, cultumque adducere, eumque suo in cælis complexu in perpetuum beare.

§. II.

His ita constitutis, Dico ulterius quintò, ut sapientia Dei perfectissima hominem ad hunc ultimum, beatissimumque finem per congrua media dirigeret, necesse fuit Deum cum hominibus *Commercium* habere, & locutione quadam extrinsecâ aliqua mentis suæ consilia illis communicare. Frustra enim foret hominem condere rationis lumine donatum, nisi eo sine ut con-

R. P. Arjdek. Tom. I.

ditori suo cultum idoneum persolveret. Ne verò noverrit homo quem à se cultum conditor deponat, cum nequeat per se divinæ mentis arcana intueri, necesse erit per medium aliquod sensibile Deum hominibus loqui, & mentis suæ consilia manifestare. Ne verò hoc commercii errori obnoxium foret, necessariù insuper erat, divinæ locutioni signa quædam Deo propria adjungi, ex quibus securè ac prudenter colligi possit, illam à solo Deo provenire.

Hunc cum hominibus loquendi modum instituit Deus ab initio per oracula Moysis, aliorumque *Prophetarum*, quæ cælestibus prodigiis, ac signis tam admirandis illustravit, ut non potuerint homines prudenter dubitare, quin doctrina is oraculis expressa, à Deo inspirata fuerit.

Secundò, Mentem suam, Legemque propalavit per monumenta *Scripturarum*, quas ipse Scriptoribus sacris dictavit tanquam publica instrumenta, in quibus voluit consilia sua ac decreta hominibus consignata remanere.

Tertiò, in progressu seculorum, Fidem suam doctrinamque manifestavit per *Christum*, ejusque *Ecclesiam*, quam non tantum ipsius Christi miraculis, sed etiam deinceps omni ævo tot testimoniis, ac prodigiis suam esse comprobavit, ut in ea Deum sibi loquentem totus pæne orbis agnoscere non dubitaverit.

§. III.

Dico sextò, His fundamentis hæcenus stabilitis innitur tota Fidei divinæ veritas certa & inconculsa. Præstat enim fidei nostræ certitudinem falli nesciam revelatio divina, quæ Deus hominibus mentis suæ sensu manifestat. Nititur autem ipsa revelatio Dei revelantis Sapientiæ infinitæ, quæ non potest falli, cum nullius rei veritas eam possit latere, ac simul Bonitati voluntatis divinæ, quæ neminem potest fallere, & ultrò in errorem inducere: hoc enim summam Dei bonitatem dedecere facile agnoscimus, quod ab homine probo sine crimine fieri non potest. Ad hæc igitur firmissima principia, omnia fidei nostræ mysteria reducuntur, ex his in singulis quos prædicamus articulis, ultima credendi ratio peti debet, quod jam in praxi demonstrabitur.

§. IV.

Dico septimò, Intellectus noster his fundamentis sine motivis instructus, facile pertingit ad *Analysim* fidei, quæ omnium articulorum, quos credit, rationem ultimam ac solidissimam reddere valeat.

De quovis enim articulo fidei, ut ad solida principia reducatur, quæri potest hoc modo:

Cur credis fidei divinâ v. g. Deum esse trinum in personis? Ideò hoc credo, quia Deus hominibus revelavit, se in personis trinum esse: Scio autem Deum non posse falli, cum sit præditus summâ sapientiâ, neque velle homines fallere, cum sit infinite bonus. Sed quomodo constat Tibi Deum revelasse, se trinum esse in personis, cum nunquam Dei loquentis vocem audiveris? Audivi sanè, dum Ecclesiam percepi Dei nomine affirmantem, Deum esse trinum in personis. At unde nosti Ecclesiam non errare, dum affirmat se Dei nomine docere Trinitatem personarum? Non errare mihi certum est ex eo, quod ipse Deus Ecclesiam hoc affirmantem afficiat notis ac signis soli Deo propriis, quibus testatur illam suo nomine, & se auctore id hominibus annunciare; quod aliud non est, quam ipsum Deum per Ecclesiam hominibus loqui, &

B de

Arjdek
kin

Theo-
logia

DIV

DE

THEOLOGIA

THEOLOGIA

THEOLOGIA

THEOLOGIA

de re quam illa proponit mentem suam manifestare. Deus autem sive per se, sive per alium loquens errare non potest. Unde patet, singula fidei nostræ mysteria non nisi testimonio tantum humano, sed in ipsa Dei loquentis auctoritate fundari, & ad eam per hanc claram facilemque fidei analysim revocandam esse.

IV. Si quaeras, quanam sint signa, quibus Deus Ecclesiam suo nomine loqui declarat? Sunt illa in primis, prodigia cælestia, vicinia rerum futurarum, Ecclesie docentis Unitas, & Sanctitas, & omnis generis miracula vim naturæ penitus exsuperantia, à Christo, ab Apostolis, aliisque Ecclesie membris omni ævo exhibitæ, ad comprobandam Ecclesie Dei nomine loquentis auctoritatem: de quibus tractat pereruditè P. Cornelius Hazart in Triumpho Rel. Flandricè edito. Si verò Ecclesia Dei nomine loquens, & tot notis soli Deo propriis insignita, esset errori obnoxia, hoc ipso adimeret Deus omnem sibi auctoritatem & facultatem hominibus loquendi, sive per externa signa mentem illis suam sine erroris suspitione propalandi. Si enim liceat mihi suspicari hanc Dei locutionem, adjunctasque illi notas tam multas, tamque admirandas non esse à Deo, sed ab alia quapiam causâ profectas, idem licebit pariter mihi suspicari de quavis alia ipsius locutione quibuslibet notis ac prodigiis insignita. Cum ergo ad Dei perfectionem pertineat, sic posse hominibus loqui, ut certi sint ipsum esse qui loquitur, eique teneantur fidem adhibere, spectat quoque ad necessariam ipsius providentiam, ne permittat illis suo nomine proponi doctrinam talibus notis insignitam, nisi per eam velit suam mentem palam indicare. Ex quibus demum aperte concluditur, tantam esse certitudinem ac firmitatem Fidei divinæ per veram ejus Ecclesiam propositæ, ut si illa vacillaret, necesse foret in agendo cum creaturis ipsam Dei potentiam, bonitatem, ac sapientiam deficere.

In quo autem cæti hominum inveniatur illa Ecclesia per quam Deus mentem suam, fidemque ad salutem necessariam mundo manifestare decrevit, deinceps accuratè investigandum suscipimus.

CAPUT II.

Ostendatur quemlibet, etiam Christianum, non posse in sua Fide & Secta salvari.

ARTICULUS I.

Status controversie, & Argumenta proponuntur.

I. **P**ost Libertinos ante omnes expugnanda est Secta Indifferentium, quorum errores mirum quantum hoc ævo invalescunt. Postquam hi allatis supra rationibus adducti Religionis erga Deum, ac porro fidei Christianæ necessitatem agnovère, nihil sibi ulterius investigandum rati, in qualibet Secta, quam illis vel locus, vel tempus, vel quæstus accommodat, securi conquiescunt. His sanè validò docentis hortatu, ac forti eleboro opus est, ut lethalis iste veteris excutatur. In hujus verò erroris barathrum duo potissimum hominum genera absorbentur. Primò, homines plebei, qui solo Religionis nomine contenti, tam facile Fidem, quam domicilium commutant, eamque sibi Sectam arripiunt, quam domi natam reperiunt.

Alterum genus est hominum politicis simulandi artibus apprimè imbutum, quos non tam error abducit, quam propria cupiditas excæcat: his mollior vita, investigandi labor, fallax securitas, spes honoris, favoris umbra, omnem Religionis veræ, falsaque differentiam obliterat, non minus paratis, si res ferat, aliam Sectam, quam novam vestem affumere.

II. Ut verò in foveam adeò latam plures præcipitentur, post *Serranum*, & plures præsertim in *Hollandia*, & *Germania*, non dubitavit nuper in *Anglia* *Thomas Hobbesius* in Elementis Philosophicis, ad hunc errorem temerario ausu habenas laxare. Contra hos, atque alios hujus temeritatis auctores.

Dico primò: Non potest quisvis, qui se Christianum profiteretur, in qualibet horum temporum Secta salvari.

Probatur primò hæc veritas, auctoritate Sacrarum Literarum, quas pro certissimo Dei verbo Sectarii omnes admittunt. Sic autem loquitur Apostolus *ad Ephes. cap. 4.* Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma: & *ad Hebr. cap. 13.* Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Ex quibus verbis hoc formabis argumentum. In Ecclesia Christi sicut unus est Dominus, ita unica est Fides, à qua prohibemur abduci. Sed diversarum Sectarum non una est Fides, nunquam enim agnosceret Lutheranus se habere eandem penitus Fidem cum Calvinista communem. Ergo non omnes illæ Sectæ sunt in Ecclesia Christi. Sed in confesso est, extra Ecclesiam Christi non posse obtineri salutem. Ergo non possunt omnes in sua fide, aut Secta salvari.

Declaratur secundò evidenti ratione. Qui enim asserit quemlibet credentem in Christum posse in sua fide salvari, admittit etiam Hæreticos olim à primitiva Ecclesia damnatos potuisse in sua fide ad salutem pervenire. Nam ex illis plerique agnoscebant Christum Filium Dei, mundi Redemptorem, & alia ad ejus personam spectantia. Salvari itaque poterunt in sua secta Pelagiani à primæva Ecclesia reprobati, quia negabant peccatum originale, & necessitatem gratiæ internæ; Christum verò ejusque divinitatem semper admiserunt. Neque à salute excludi poterunt Nestoriani, qui Christum ut Deum, & hominem, & salvatorem colebant, sed duas in illo personas constituebant. Neque damnandi sunt Macedoniani, qui in Christum per omnia credebant, sed Spiritum Sanctum Filio minorem esse volebant. Neque reprobandi erunt Novatiani, qui de Christo rectè senserunt, sed tantum lapsos ad penitentiam admittendos pernegabant. Hoc autem admittere aliud non foret, quam veram & primævam Christi Ecclesiam, ac totius antiquitatis consensum erroris arguere. Si enim illi in sua fide salvari potuerunt, cur tanto molimine contra eos congregati sunt ex toto orbe Patres, & Concilia? Cur toties anathemate à Christi Ecclesia separati? Cur maluerunt omni ævo Christiani potius exilia, tormenta, & ipsam mortem tolerare, quam eorum doctrinam aut Sectam profiteri?

Statuamus etiam hoc tempore aliquem ex iis, qui in Christum credunt, negare infernum damnatis omnibus esse constitutum, aut asserere dæmones aliquando ad cælum perventuros. Neminem credo reperies, qui admittet talem Sectarium ad salutem posse pervenire. Quantumvis profiteatur se alia Christianæ Fidei dogmata retinere.

Dico